uitate lasciuiam; mariae uero salutationem angeli uerebatur;
Erat tamen cogitans in quid qualis esset haec salutatio; et ideo cum
uerecundia quia pauebat; Cum prudentia quia benedictionis
nouam formulam mirabatur quae nusquam lecta nusquam ante comperta;
ET AIT ANGELUS EI NE TIMEAS MARIA INUENISTI ENIM GRATIAM APUD DOMINUM;
Quam salutatione insolita utpote quae ei soli seruabatur uidens
turbatam: quasi familiarius notam uocans ex nomine: ne timere
debeat iubet; et quam gratia plenam uocauerat eandem gratiam et astruit
plenius et uberius explicat dicens; ECCE CONCIPIES IN UTERO.
ET PARIES FILIUM ET UOCABIS NOMEN EIUS IHESUM;
Ihesus saluator siue salutaris interpretatur; cuius sacramentum nomi
nis adloquens ioseph angelus exposuit. Ipse enim inquiens saluum
faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait populum israhel sed populum
suum: Hoc est in unitatem fidei ex praeputio et circumcisione uocatum:
quibus ex diuersa parte congregatis fieret unum ouile et unus pastor;
HIC ERIT MAGNUS. ET FILIUS ALTISSIMI UOCABITUR; ET
DABIT ILLI DOMINUS DEUS SEDEM DAUID PATRIS EIUS;
Dictum est et de iohanne quia erit magnus; sed ille magnus quasi
homo magnus; hic quasi deus magnus; Ille enim magnus coram domino; hic
autem erit magnus inquit et filius altissimi uocabitur; Idem ergo fili
us altissimi qui in utero uirginali conceptus et natus est; Idem homo
in tempore creatus ex matre quod deus est ante tempora natus ex patre;
Si autem idem homo quod deus est: Omittat nestorius hominem tantum
dicere ex uirgine natum: et hunc a uerbo domini non in unitatem personae:
sed in societatem inseparabilem esse receptum; Alioquin non unum
Christum uerum deum et hominem sed duos quod dici nefas est adserere et per
hoc non trinitatem sed quaternitatem praedicare conuincitur; Catho
lica autem fides sicut unum quemlibet hominem carnem et animam:
Ita hominem et uerbum unum Christum rectissime confitetur: Iuxta
quod et angeli uerba significant quae dandam illi a domino sedem patris eius

adseuerant;